

- 18 Curriculum Lutheri h. 2. t. 1. f. 1.
- 19 Samaritanus n. v. l. c. et libro uulnera  
 h. est gong hum. manu scripta.
- 20 Iesus amissus et reperiens h. 1. f. 1.
- 21 Iesus amissus et reperiens h. 1. f. 1. Sam.
- 22 Aretogenia de Aretino et Eugenia.  
 Cundis alt. Oldendorp.
- 43 Plagium D. Crameri alle b. 1. f. 1.

C. e. 99

ff 2. 5. 16

2 N. 16.

9

1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17



Catalogus Comediarum q̄ in hoc  
libro recensentur.

1. Rebecca.

2. Susanna.

3. Hildegardis.

4. Iulig Redimius.

5. Priscianus Vapulans.

6. Heluetio Germani.

7. Phasma.

Tragediae duae

1. Venus.

2. Dido.

8. De Aretino et Eugenia.

9. Plagium.

Tragediam unam

10. De Lucretia.

11. Tobias tentus.

12. Speculum puerorum tentus.

13. Asotus penitens tentus. <sup>Witebergae</sup>

14. Iudicium Salomonis tentus. <sup>Constatio gl.</sup>

15. Pastorale officium tentus.

16. Rebecca tentus.

17. Speculum Iosephi tentus.

va  
am:  
orp  
ia.  
i. g.



*[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*



4  
LVCRETIA

TRAGOEDIA.

Ex Primo libro Decadis Primæ Livianæ

A D

NOBILEM IUXTA ET

Magnificum virum Dn. MELCHIO-

REM PANTALEONEM, Illustr. DD.

Procerum Carniolanorum Consi-  
liarium clarissimum.

Recensente

M. FRIDERICO BALDVINO

Dresdensi.

Aristot. de poët. cap. 9.

φιλοσοφώτερον καὶ σωφρονώτερον ποιήσις ἱστορίας ἐστίν.



VVITEBERGÆ,

Ex Officina Cratoniana, Anno 1597.

64

4.

AVGUSTIA

TRAGEDIA

EX PRIMO LIBRO DE

REBUS PUBLICIS

M. D.

NOBILISSIMA ET

MAGNIFICENTISSIMA

REPUBLICA

PROBATIONE

REPUBLICA

REPUBLICA

M. FRIEDRICH

REPUBLICA

REPUBLICA

VITAE

REPUBLICA

REPUBLICA

REPUBLICA



NOBILI IVXTA  
ET MAGNIFICO VI-  
RIO, DOCTRINA, VIRTU-  
te, prudentiâ, multo þ rerum præclarissi-  
marum usu Excellentissimo, Dn. MEL-  
CHIORI PANTALEONI, Illustrium  
D.D. Procerum Carniolanorum Consiliario  
clarissimo, Domino & Mecænati  
meo multis nominibus pluri-  
mum honorando,

S. P. D.



*PANTALEON* imperiorum  
termini, Rerumq̄ publicarum  
dubiæ vicissitudines, animos  
hominum diligentiori curâ illas pensitan-  
tium nunquam non mirificè perculerunt.  
Ignorantes enim veram tantarum muta-  
tionum causam, vel sine verbo diuino  
naturali luce quales quales coniectantes,  
partim in horrendam blasphemiarum cogi-  
tationum abyssum inciderunt: partim  
in incredibilem tantarum rerum admira-  
tionem sunt abrepti. Quid enim Magnus

A 2

ille

## EPISTOLA

ille Pompeius, Pharsalico praelio victus,  
 cum iam imperatorio honore exutus My-  
 tilenen ad conjugem venisset, neglectoq;  
 ciuium congressu, ad solum Cratippum  
 Philosophum diuertisset: nimirum plus  
 nimio cause (uti opinabatur) bonitate  
 fretus, plurimum de deorum iniuriâ con-  
 queritur, qui rerum humanarum curam  
 nullam agentes, casu imperia nasci, &  
 ut formicarum examina, casu rursam di-  
 labi paterentur, ut auctor est Plutarchus  
 in Pompeio. Plato vero, grauissimarum  
 rerum prudens estimator, cum imperio-  
 rum confusiones, gentium, rerumq; publi-  
 carum obitus intueretur, neq; tamen cau-  
 sam penitus perspiceret, de difficilimâ re  
 sententiam laturus, veluti Sibyllino per-  
 citus adflatu, rei veritatem ænigmate  
 involuit, quando in s. polit. Musas de  
 imperiorum mutatione disserentes intro-  
 ducit, quod nimirum, ideo regnorum,  
 Rerumq;



DEDICATORIA.

Rerumq; publicarum status crebro mutantur, qui ἐπιτροπος ποδάλω περιπτάδι ουζυγίς, δύο ἀρμονίας παρέχεται τρις ἀυξήσας. Quemadmodum enim Musicus concentus naturali lege ultra τὸ διὰ πα. ὦν non progreditur, id quod fit, quando diatessaron cum diapente iungitur: ita et imperiorum certum & absolutum terminū esse Plato voluit innuere. Et veluti epistritus in Musicis harmoniam, naturā ducē, perfectissimam, suavisimā vocum consonantiā constituit, tum verò, secundum ternarij numerum auctus, puras puritas parit dissonantias: ita plerumq; Reipub. imperiorumq; statum ad summum perfectionis suae florem & vigorem perductum, pulcerrimèq; sibi ipsi concordantem subito quasi impetu quassatum emarcescere: intestinisq; discordijs omnia legū iura frangi & dissipari videas. Quem verò hīc incuses? num fatorum tabulis,

EPISTOLA

*stellarumq; περιπέτοις acceptum feres?*  
 Equidem non est omnino de nihilo, quod  
 Mathematicorum ἀποτελέσματα ex accu-  
 ratâ τῶν ἀκτινοβολίων καὶ ὠρμηθίων siderū ob-  
 servatione gravissimorum eventuum tē-  
 pora interdum & praesagiunt & matu-  
 rant. Sed hoc aliquanto leuius est, quā  
 ut prudentiorum assensum hoc in genere  
 sibi polliceri queat. Crescunt enim regna  
 & ad ἀμην perveniunt, non singulari  
 quodam cæli favore, sed stabiliente Do-  
 mino: dilabuntur iterum & flaccescunt,  
 non stellarum inclementiâ, sed transfe-  
 rente Domino. Nam propter peccata po-  
 puli crebræ sunt mutationes principum,  
 inquit Salomon, & propter imperanti-  
 um superbiam plectitur imperium. Ita  
 florentissimum illud Persarum regnum,  
 quamdiu Cyros suos & Darios ad clavū  
 habuit, tamdiu varijs temporum procel-  
 lis eluctatum, saluberrimam fortunæ fa-  
 ventis

DEDICATORIA.

uentis auram est consecutum: quamprimum Artaxerxes, tori fraterni prædone farius, ad rerum gubernacula subuectus est; omnes regni vigor deserbuit, omniq; legum & pudoris vinculo rupto, ipsum tandem regni systema sponte suâ enervatum dissiliit. Idem planè, majori forsân cum admiratione de totius orbis dominâ ROM A dicere possem, quæ, aliquoties mutatâ reipub. formâ, nunquam sine insigni vel populi vel Magistratus delicto de priori statu deturbata fuit: sicuti Varias has imperij Romani figuras Prudentius elegantissimis versiculis descripsit, lib. post. cont. Symmach.

Sic septingentis errauit circiter annis,  
Lubricaq; & semper dæbitans, quæ forma placeret  
Imperij, & quæ regnandi foret æqua potestas.  
Regius exortam iam tunc habuit status urbem,  
Non sine grandævâ curarum in parte locatis.  
Mox proceres de stirpe senum tractasse videmus  
Clavum consilij: plebeias inde catervas  
Collatas patribus mixtim dittonibus æquis

EPISTOLA

Imperitasse diu, belloq; & pace regendis  
 Consule nobilitas viguit; plebs usa tribuno est.  
 Displicet hic subito status, & bis quina creantur  
 summorum procerum fastigia, quos duodeni  
 Circumstant fasces, simul & sua quemq; securis.  
 Rursus se geminis reddit ductoribus omnis  
 Publica res, & consulibus dat condere fastos,  
 Ultima sanguineus turbavit secula Triumvir &c.

Sed enim mihi in praesentia animus  
 non est, singularum harum mutationum  
 a Populo prolixius exponere: illud tamen  
 sicco, quod aiunt, pede praeterire non pos-  
 sum, quo pacto regium Romanorum dia-  
 dema in consulares fasces abierit. Quod  
 quidem diligentius consideranti mihi ve-  
 nit in mentem, quod Plato in Protagora  
 omnis civice societatis fundamentum col-  
 locat in PVDORE & IVSTI-  
 TIA, quo quidem destructo, reliqua  
 omnia humanitatis iura ruere, sublapsaq;  
 interire verissime putavit. Huic basi  
 primum innitebatur, ex tam vili princi-  
 pio ad tantam amplitudinem euecta, ur-  
 bium

DEDICATORIA.

bium Regina R O M A, quæ tum in socios  
rum animis incredibilem amorem sui con-  
citabat, tum etiam solâ nominis sui famâ  
plures terrebat, quàm alij armatâ manu  
ausi fuerunt aggredi. Deterrebat enim  
à scelere pudor, si quem fortè legum con-  
temptus securiorem redderet: coherceba-  
tur iure, si quis depudere cœperat. Ita o-  
mnino adunitis quasi viribus pudor &  
iustitia nervi erant rerum Romanarum,  
in tantum, ut, quos antea metus hostium,  
disciplinaq; militaris continuerat, illi tum  
(ut Livij verbis utar) in eam verecundi-  
am adducti fuerint, ut civitatem totam  
in cultum versam deorum violari nefas  
ducerent. Hisce igitur inityis imperium  
Romanorum sub quatuor primis regibus  
usq; ad annum Urbis 138. ad tantam ex-  
crevit amplitudinem, ut verè tunc tem-  
poris Romæ cum fortuna virtutem con-  
certantem videres, Urbemq; solùm deorū

EPISTOLA

domicilium crederes. Verum enim Verò  
 sienti Verissimum est Marij Verbum apud  
 Salust. in Iugurtha: peperisse nobilitatē  
 novam melius esse, quā acceptam cor-  
 rupisse: ita vicissim degeneris animi est,  
 ut leuissimè dicam, imperium, quod ma-  
 iorum Virtute ad summam perfectionem  
 deductum per manus quasi acceperis, ne-  
 gligentia tua, ne dum scelere, perturbare  
 & evertere. Ita quidem cum extero Tar-  
 quiniorem nomine populo Romano scele-  
 ra simul, impudiciq; mores, legum con-  
 temtus, fastus & ambitio innotuerunt.  
 A quo primum enim die Tarquinij, & in-  
 primis Superbus ille, Prisci filius

Mores, leges, perduxerunt iam in potestatem suam:  
 Eæ miserae etiam ad parietem sunt fixæ clavis ferre-  
 Vbi malos adsigni nimio fuerat æquus. (is,

Tunc enim ignotum prius Romanis  
 perfidiæ nomen, Ancorum, Lucijq; Tar-  
 quini in magistratum suum nefarijs insti-  
 dijs

DEDICATORIA.

*dijs primum auditum fuit: neq; forsā  
 prius inueniri quispiam potuit, qui tan-  
 tam in hominem immanitatem cadere  
 posse putaret, ut in interfecti parentis ca-  
 dauer filia se viret, donec scelestā ista  
 Tullia per patris corpus carpento rapta,  
 sanguinis cedisq; paternæ partem cruen-  
 to vehiculo, conspersa ipsa respersaq; ad  
 penates suos viriq; sui tulisse visa est.  
 Neq; quisquā antea in eligendo Rege tā  
 nullius pensi habuit seu populi iussū, seu  
 patrū auctoritatē, ut sibi sine horū suffra-  
 gijs ad imperium accedendū esse putaret,  
 donec malitiosa illa L. Tarquinij super-  
 bia per vim minasq; fas nefasq; in regium  
 solium irruit. Sicut enim piscatores non  
 capiunt anguillas, nisi prius agitato et tur-  
 bato stagno (ut de Cleone dixit Aristopha-  
 nes:) ita hic quoq; perditissimus rex incon-  
 cessam hanc regni utilitatem aucupatu-  
 rus, prius acerbissimè turbauit Rempub.  
 Sed pessimum hoc regni principium  
 similis*

EPISTOLA

similis propediem exitus sequutus est. Superbi enim parentis impudica suboles Sextus Tarquinius, qui nec pudore inhibitus, nec iustitia retractus, omnia sibi, nescio quo jure regio, licere existimabat, nefario stupro, quod honestissimæ fœminæ LVCRETIAE intulerat, & patrio, & toti simul Romano regno terminum addidit: ita ut vindicata à regibus ROMA ad optimates Reipub sceptrā transferret. Vsq̄ adeò verum est, quod Seneca ait in Thyeste:

Omne sub regno gravioꝛe regnum est:  
 Quem dies vidit veniens superbum,  
 Hunc dies vidit fugiens iacentem.

Ex hisce omnibus resultat vera origo tantæ mutationis in imperijs, quam sapientiores Ethnici tanto conatu quæsiuerunt, divinæ verò legis nescij, inuenire nequierunt. Illa verò solùm est malitia tã principum quàm subditorum, qua Deus inci-



DEDICATORIA.

incitatus regnum de gente transfert in gē-  
tem, ut ipsum solum supremum archidys-  
nastam, omniumq; regum Regem agnosca-  
mus & revereamur. Vix autem atrocius  
habetur scelus, quod imperiorū euersiones  
citius acceleret, quā Adulterium, pro-  
pter quod Deus ille *Ἰνδωτός* non modò to-  
tas urbes, sed & amplissima regna & im-  
peria euertit, miserèq; disperfit. Graue  
enim est, nec sine quadam animi consier-  
natione legitur, quod ob Dine stuprum  
tot a Sichemitarum urbs tam mise-  
rabili excidio deuastata fuit. Multò  
verò tristius est, si mentis aciem in nobi-  
lissima illa Troianorum Romanorumq;  
regna intendamus: quorum alterum pro-  
pter fedissimum adulteriū penitus euer-  
sum, alterum, non sine totius Reipub.  
iactura & perturbatione immutatum su-  
it. Ad hosce duos scopos **T R A G O E-**  
**D I A M** hanc, quam damus, præter cæ-  
terā,

## EPISTOLA

tera, collimare visum fuit: nimirum, ut  
 & periodorū imperij præcipuam causã,  
 & abominabilem detestandæ libidinis se-  
 ditatem, si non depingeret, primis saltem  
 lineis mediocriter adumbraret. Cum  
 enim eruditorum iudicio, Tragediarum  
 omnium commune argumentum sit, lusti-  
 tiam discere: quid id sit, non tam artifi-  
 cum præcepta, quam quotidiana contrari-  
 orum vitiorum exempla edocent, in qui-  
 bus, veluti in humane vitæ Speculo, quid  
 nobis laudi vitioq; sit, cognoscimus. Per-  
 spectâ enim & probatâ pertinacissima il-  
 la LUCRETIAE castitate, cogni-  
 ta item tyrannica Sexti libidine, facile li-  
 quere potest, imperiorum regnorumq;  
 dignitatem & vigorem non tam ex civi-  
 um vita, quam Rectorum moribus esti-  
 mandum esse. Quamvis enim, quod ex  
 Platonis 4. de ll. repetit Cicero in 1.  
 ep. fam. 9. auctoritatem suam meritò  
 obtine-

DEDICATORIA.

obtineat: Quales in Repub. sunt princi-  
 pes, tales reliquos solere esse cives: ta-  
 men non raro sub fastuoso quodam & la-  
 sciuo Tarquinio, castissimã Lucretiam,  
 sub truculento Nerone sapientem Sene-  
 cam invenias. Quae quidem omnia, etsi  
 scenatiles hi cothurni, pro gravitate  
 rerum, ad Vivum non exprimant: tamen  
 eò digitum intendunt, ut, quod oratoris  
 grandiloquentia multo felicius ob oculos  
 ponere posset, illud hi poëtici modi histri-  
 onia sua representare saltem videan-  
 tur. Atq; eo quidem in genere si quid lubri-  
 cante et atis iudicio minus *περὶ τὸ ἀφρονεῖν ἀπο-  
 φωνία*, dixisse videar, exoptarim mihi ma-  
 ximoperè mitem magis beneuoli lecto-  
 ris in iudicando *ἐπιεικειαν*, quam miniatulas  
 seueriorum notarum cerulas. Illam  
 verò de ijs mihi planè polliceri possum,  
 qui me non tam arrogantia addus-  
 tum, ( à quo vitio natura me  
 abhor-

## EPISTOLA

abhorre verè adfirmare possum) quam  
 diuinæ poëseos amore incitatum, ( cuius  
 me mirum quoddam desiderium à pueris  
 tenuit ) quidquid huius est, suscepisse, nō  
 ignorant. Si qui vero sunt ( uti semper  
 sunt ) qui suo ex ingenio aliorum mores  
 extrinsecus metiuntur, illos morari ego  
 nec debeo, nec possum, cum ne quidem a-  
 cutissimo Socrati pepercerint, qui se mul-  
 torum passim <sup>διαβ. ἢ ἡδ. & ὄρω</sup> perimi con-  
 queritur. Ad Tuam potius Magnificentiam,  
 Vir Nobilissime, Mecenas obseruan-  
 de, me conuerto: cuius accurati iudicij  
 laudibus, & fauoris erga literatos præ-  
 clari encomijs aures mihi cotidie perso-  
 nant: quiq; cotidiano præclarissimarum  
 rerum usu jamdudum diuicis, quo vincu-  
 lo Reipub. salus sarta teētāq; conserue-  
 tur, quæve disrumpatur vi vel injuriā.  
 Tuæ igitur Magnificentie **LVCRE-**  
**TIAM** hanc meam scenico indutam co-  
 thurno,

DEDICATORIA.

cothurno, luteus meritoq; offero & dico;  
 eamq; & cum ea me tibi totum de meliore  
 nota commendo. Cuius quidem insti-  
 tuti mei causas, non est cur pluribus at-  
 texam, cum praesertim, me tacente, pro  
 me loquatur M. Tuus filius Dn. D A-  
 V I D, juvenis paternae virtutis felix a-  
 mulator, qui institutioni meae commissus,  
 quodam familiaritatis nostrae iure me per-  
 movit, ut hoc quaecumq; Musarum mea-  
 rum *ἐπιτροπῆ* apud M. T. exponerem.  
 Accedit huc singularis quidam amor in  
 Te meus, quo M. Tuam, quamvis non  
 à facie, fama tamen notissimam vehe-  
 menter colui, motus praestantissimis actio-  
 nibus tuis, hominumque constanti sermo-  
 ne, omnia de Te summa praedicantium:  
 nimirum solam esse M. Tuam, quae cum  
 fortuna virtutem ita coniunxerit, ut in  
 utroq; pariter emineat: quaeque virtu-

B

tem

## EPISTOLA

tem ipsamet summo studio coleret, inque  
 alijs præmijs ornaret: liberales artes, mi-  
 serè iam passim exulantes, humanissimè  
 exciperet, illasque, pro ea, qua valet aus-  
 toritate, mirum in modum tutaretur &  
 fovaret. Quæ quidem omnia singulari me  
 incendebant ardore meæ in M. T. obser-  
 vantia declarandæ: quod dum hætenus,  
 pudore quodam deterrito mihi facere non  
 fuit integrum: illud iam occasione hac ob-  
 lata fortasse non sine gravi crimine inter-  
 mitterem. Nihil ergo restat amplius,  
 quam ut maiorem in modum à M. T. pe-  
 tam, ut illa humanitatis & benevolentia  
 suæ fores per hanc *LUCRETIAM*  
 meam aperiri mihi patiatur, atq; volunta-  
 tem meam non tam ipso hoc munusculo  
 (quod sentio quàm sit exiguum) quàm a-  
 nimo æstimet: qui certè omnino ita in  
 M. T. est adfectus, ut, si quid vel in sin-  
 gulari

DEDICATORIA.

gulari erga te studio & observantia, vel  
virtutum tuarum maximarum prædica-  
tione quidquam sciens prætermitteret,  
nefariose scelere obstrictum arbitretur.  
Vale vir Nobilis & Magnifice. Datum  
Witebergæ è Museo meo, Anno 1610  
vires cl. Id. IIIC.

N. M. T.

observantis.

M. Fridericus Balduinus  
Dresdensis.

B 2

IN

IN LUCRETIAM  
Ornatissimi & huma-  
nissimi Viri:

FRIDERICI BALDVINI

Dresdensis Misnaci, optimarum artium  
Magistri, Electoris Saxoniae alumni.

**A**θανάτων ἀφανὲς ἦος ἀνδρασι θέρειδ' ἀλ' ἴσ  
κοίραν' ὅτι βροτῶν, παρβαπλευστὸν θεός.  
ἐκ ἀμέριμν' ἔχης γαμον, ἄλγεα πολλατὸ πάσχων.  
ἐκ γαμῆς, πάμπαν ζῆς εἴ' ἐρημότ' εἶ.  
θῆσαυρὸς μέγας ἐστ' ἀγαθῶτε φιλιτε κρείσσῃ,  
εὐσεβείως σάσαι καὶ μὴ ἐπισκευέτω.  
ἔποτε δευὰ πύθῃ ΛΟΥΚΡΗΤΙΑ, καὶ ἀπὸ τῶ ὀλεθροῦ  
εἰ μὴ ἀκιναιόοις ἤθεσι σάισοι ὕβρις.  
Ταῦτ' ἄρα παυμελεσὶν σαφανέσσε' ἐπιόσι τραγωδαίς.  
μάρτυς ἐμ' ἐκδύμως πάντα γινώσκουμι.

M. Antonius Evonymus  
Carinthus, Ethices Profess. publ.

---

**B**ALDVINE, novum decus corburni,  
Corburni insolitiq; & invidendi  
Non tam Misnia nostra quâ patescit,  
Quam Germania tota quâ recedit,  
Et sane unus & alter elegante  
Iam nunc socco habet impedita crura:

Sed



Scd̄ quem varro queat probare doctus.  
Non monstres facile unicum cothurnum.  
si sic pergere, B. ALDVINE, pergis,  
Et perges scio quæ ingenti est tui vis,  
Tanto præ reliquis celebriorem  
Famam nominis obtinebis olim.  
Quam Germania Missniâq; lata,  
Et socco magis altus est cothurnus.

Adamus Theodorus, Adami  
F. Siberus, Græcæ linguæ PP.

---

FRIDERICE, doctas erudite literas  
Plus, quam tua vel etas vel institutio,  
Vel permodesta frontis ista vilitas  
Præportat usu publico: LUCRETIA,  
Quam curiosâ mentis acrimoniâ  
Scenatilis modi cothurnis induis,  
Quâ verba, quâ res pensito, nec seculi,  
Quod degitur, mores nec artem possidet:  
At cuius ergo? cuius? Vnius TVOS.

M. Fridericus Taubmannus  
P. L. & Poës. PP.

B 3

PER

PERSONAE DRAMATIS.

Castit's, Prologus,  
Lucretia

Nutrix

Chorus mulierum?

Tarquinius, Rex Romanus.

Sextus, adulter.

Collatinus } maritus { Lucretiae  
Tricipitinus } parens {

Brutus, Patricius Romanus

Nuncius.

PERIOCHA.

*Lucretia, ut furore Sexti Tarquinij  
Violata, stupro muliebri decus perdidit,  
Culpam ausa crebris expiare lacrymis,  
Rebus suis diffisa, sese interficit.  
Exterriti hac maritus, & pater nece, ex-  
Temploq; tanti indignitate facinoris  
Incensi, ad arma convolant, Bruto duce,  
Aulamq; regis irrunt; regem exigunt.*

CASTI.

# CASTITAS.

## PROLOGVS.

**Q**uod virgo primum prodeo, scene caput,  
Et, quam vides, opera mea LVCRETIAM  
Profero, corona nobilis spectantium;  
Mirare, si, quæ sim, vel unde prodeam,  
Nescis: faveto, si deam me noveris. (quar.  
Hoc ergo primum, deinde, quid velim, elo-

**E** Ricina Cypris, mira spumæ filia (gi  
Saturniæ, prognata aquis, vecta biju-  
Curru palumbum sive olorum remi-  
Cum totius lustraret orbis incolas, (ge,  
A termino Eoo, usq; ad Hesperias plagas,  
Volucris pinnati ephēbi spiculis  
Transfixit impubem juventam, & in sui  
Promiscuos pellexit ignes, nullius  
Ut cura dictamni mederi quiverit.  
Exustulati Venereo pyragmone  
Animi, ignis ex furore, nullius pili  
Connubij fecere justæ regulam  
Quam quisq; vel genio suo placere, vel  
Si commodò illius potiri noverat,  
Huic quodlibet gramen vel herba dedit torum.  
Iam tedium vitæ ordinatæ obrepserat,  
Placuit ferinas insequi libidines:  
Non potuit humanâ huic malo succurri ope;

Animos decorum (proh dolor!) penitus quoque  
 Invaserat cacoëthes istud Venereum,  
 Divinitus medela divorum malo  
 Requiritur; mortalium vis nulla erat.  
 Hinc me deorum cura (quæ eis pridem tori  
 Tam sordida profanatio, & promiscua  
 In innubos choros rapina virginum  
 Bilem movere cœperat) cœlestium  
 Ex sede, tantæ vindicem libidinis  
 Emisit, hostem amoris illiciti, omnium  
 Virtutum originem atque fontem: CASTITAS  
 Vocor, Pudoris sola mater, Cypridos  
 Victrix, amorum castiorum pronuba.  
 Quæ, quando primitus hospes huc veni, domum  
 Hanc proprium hospitium esse delegi mihi.  
 Vnde in Theatrum hanc profero Lucretiam,  
 Exemplar & coronam honestæ coniugis.  
 Hæc cum labore industriaque, sedulâ  
 Palmam pudoris Sextiæ, huius coniugi,  
 Luxurie & ebrietate viventi domi.  
 Præriperet, indignatus hinc Sextus, simul  
 LVCRETIÆ formâ & pudore flammeus  
 Totus, furore exæstuans Cupidinis,  
 Prece, blanditijs, ferro, minis poscit stuprum  
 Illius, illa nulla mota, & impetum  
 Mortis, pudoris amore, non horrescere  
 Audet, sed ut tyrannicâ calumniâ,  
 Summaque vi Sexto coacta est obsequi,

Exosa

TRAGŌEDIA.

3

Exosa vita, convocatis sanguinis  
 Adfimbis, scelere reiecto Tarquinij,  
 Ferrum ipsamet transadigit in praeordia,  
 Malens mori, quam non honeste vivere.  
 Aegre ferentes orbuatem filiae  
 Parens, maritus conjugis, Bruto duce,  
 Regem ex gentes, vindicant Rempub.  
 Summam novantique hanc habete Tragœdia,  
 Quam secla post duo, & octo lustra, conditâ  
 Ab Vrbe, Regis ultimi sub fascibus  
 Verè peractam, nunc ab histrionibus  
 Videbitis nostris representarier.  
 Nam quamlibet trophæa pridem à Cypride  
 Tuli, hocq; cornu & spiculum Cupidinis  
 Fregit, meeq; subjugavi dextera:  
 Fractis tamen belli malignè inducijs,  
 Redintegratis spiculis Veneris, novas  
 Iam copias postliminio succedere  
 Adverto, quas nostrâ aggredi Tragœdiâ  
 Animus fuit, quo turpitudine Libidinis,  
 Vetitig; amoris in peregrinum torum,  
 In Sexti imagine innotescat omnibus:  
 Sed castitatis & pudoris gloria  
 LVCRETIAE, pariat Acidalis deae  
 Odium, relicto stimulo honesti nominis,  
 Scelerumq; detestatione in cordibus.  
 Iam, si quis aut LVCRETIAE, aut Mei est amor,  
 Adeste, quaeso, animi favore, nominis

E 5

Digno

osa

Digno mei, & linguae optimo silentio.  
 Nam credite hoc nil mentienti mihi dea,  
 Vos hodie, qui spectandi adestis gratia,  
 Plus audiendo, quam loquendo discere.

# ACTVS I.

## LVCRETIA.



Heu dolorem : nam quid anxiam  
 premunt

Sub corde fibra, palpitat mihi cor  
 metu.

Tremisco tota : congelascit alveis

Sanguis suis, torpet gravi caligine  
 Mens animi : ut icta cerva subito fulmine  
 Exhorret, & stupore raptâ concidens,  
 Ipsum sub alvo fatum inermem negligit  
 Parrus abortu lugubri immutans suos.  
 Piget, pudetq; diffitear, adultera  
 Quò ventar, aut excipiet ecqua me exulem  
 Tellus ? quod hospitale queritem solum,  
 Ecqua auratam salubris, hoc quæ non meo  
 Vitiata viru me scelestam hinc exspuat,  
 O quisquis unquam Castitatis est amans,  
 Et impudicæ mentis osor, ô mei  
 Luctus sodales, ô puella, Virgines,  
 Iuvenes pudici, quosq; nondum lubricus  
 Detrusit error in peregrinum torum

Aver-

TRAGŌEDIA

5

Avertite oculos, sensa, mentem avertite,  
 Nolite me puro intueri lumine,  
 Nolite, quæ feci, insequi vestigia.  
 Merum venenum spiro, fel merum, scelus  
 Merum, nec est, quod haud scelesto polluã  
 Anhelitu, vel hocce visa de siruam,  
 Quæ perditarum perditissima mulier,  
 O Vesta, qui me ferre potes adulteram,  
 O Cynthia, o sincera Cœli sidera,  
 Qui nocte tam turpi faces, tenerrima  
 Inseruiere adultero, cur non magis  
 Tenebricosis condidistis nubibus?  
 Et tu paterna terra, cur non intima  
 Deglutisti adulteram voragine?  
 Credibile, tunc omnem deorum regiam  
 Exhorruisse, omnemq; sacrarum adium  
 Evanuisse honorem: & ipsa Castitas  
 Oculo retorto percita ira frenduit,  
 Et limpido fluenta fluxu Tibridos,  
 Retro gravi fugam dedere flumine  
 Quid ergo restat, numquis est, quem & al  
 Ausim, inq; condolentiã fati mei Cloqui  
 Vocare? maria, terra, cœlum hoc audiant,  
 Si nullus homines inter est mihi locus.

CHORVS.

Q Vis te, LVCRETIA, æstus,  
 Quis te dolor perose

Exaspe

Exasperare vitæ  
 In temet unde possit ?  
 An tanta fœmininæ  
 Fortunæ acerbioris  
 Sit magnitudo, mortis  
 Arma ut furor ministret ?  
 Ah parce, queso, parce,  
 Lucretia, ô juventæ  
 Norma una Virginalis,  
 Lux una principalis !  
 Quid est, quod intuentes  
 Radio tuo enecari ?  
 Quid est, quod alloquentes  
 Flatu perire dicis ?  
 An quod tui pudoris  
 Coacta dignitatem  
 Amisti ? & hostis arma  
 Inermis haud represti ?  
 O quid, Lucretia, ô quid  
 Tam labe pestilenti  
 Vel te, tuumve nomen  
 Derruderet sub umbras ?  
 Si spiritu procace,  
 Labiove si loquace  
 Petulanter impudicos  
 Laceßeres amores :  
 Si mentis Ociose,  
 Si oculi libidinosi

pru. tu



TRAGŌEDIA,

7

*Pruritu adacta, formam*

*Inquirereres virilem:*

*Nisi tui mariti*

*Tibi una cura, & una*

*In ipsius salute*

*Devotio fuisset:*

*Nil deprecari, & ullis*

*Posses rogare verbis,*

*Quin te futura secula*

*Adulteram probarent.*

*Nunc vis adultera illa,*

*Et illa purioris*

*Vi laesa mens pudoris*

*Te crimine hoc levabunt.*

*Nos ut tuos retorto*

*Oculo intueri Vultus*

*Possemus? ô pudici*

*Suboles pudica amoris!*

*Imò efficaciori,*

*Et diligentiori*

*Studio tui pudoris*

*Reddemur hinc sequaces*

*Quod si quis error hîc est,*

*Adulteri error ille,*

*Tu liberabere omni*

*Culpâ, ille tollet omnem.*

N V.

LVCRETIA  
NVTRIX.

**N**emo suis procul est à fatis,  
 Quemvis celeri insequitur pede Ate.  
 Ut quem voluit rota fortuna,  
 Sic, inopinâ quamvis sorte,  
 Ducere vita cogitur horas.  
 Omnia sunt tabulis fatorum  
 Inserta hominum euenta aut gesta.  
 Nec quicquam humanis rebus agi  
 Creditur incertis casibus, ut  
 Non prospiciat superâ cura  
 Provida Divûm.  
 Vix ipsa ego crediderim, tantam  
 Fati esse licentiam, ut ex equo  
 Grandinis improvsum ejaculet  
 Imbrem, ad summa palatia magna  
 Artis, quam pauperis ad tugurij  
 Limina, acerbis nisi me exemplis  
 Lucretia, primo nata sinu  
 Fortune, ancipiti jam misera  
 Luctu, edocuisse: quæ lacrymis  
 Moderari nescia, jamq; viri  
 Pugnas querule dolet Halcyonis  
 Voce, coacti jam & adulterij  
 Repetit læsus Pandonij  
 Fletibus, omnem aversa dolorum  
 Medicinam animo.

Licet

TRAGOEDIA.

9

Licet & pietas multa atq; fides  
 Sit nostra, animum solando agrum:  
 Frustra omnia tento: adspernatur  
 Dolor omnis opem medicinae, ipsa  
 De mole mali sumit vires.  
 Magnum inde scelus sceleri magno  
 Restare timor reputat noster.  
 O utinam evanidus ille timor!  
 Ah quam nullo magè discuperem  
 Tempore falli!

LVCRETIA. NVTRIX.

**E** Gredior, ingredior: dolori non datur  
 Venia: renitor, vix renitentem quies  
 Defendit: inquieta mens varijs modis  
 Impellit adflictam: referre vix licet  
 Caussam doloris, juncta caussa infamia est.  
 Conferre nedum fas erit fletus meos  
 Aliquo dolore, quamlibet referam tuas,  
 Sabina, sortes, sponsa ducta Talasio.  
 Per vim licet, surrepta ab ulnis patrijs,  
 Aliena thalami iura inis: nullo tamen  
 Cum dedecore, sed magno honore, Talasia  
 Coniux, tuas sopire nosti lacrymas.  
 Me verò adulterij coacti injuriam  
 Deslere non sinit pudor, sed in meos  
 Servata luctus, nil nisi umbram nominis

Restare

Restare video nostri: adulter abstulit  
 Reliquum: ô doloris fida nostri portio,  
 Nutrix, querelas mente memori has excipe.

NV. Alumna, sicin' invalescere lacrymas:

LV. Dum crimen invalescit, & sceleris furor.

NV. Quæ lacrymis finem tuis dabit dies:

LV. Vitæ datura finem. NV. abige presagia hæc.

LV. Fortuna quæ presagit, abigere an licet:

NV. Vix, quod times, habitura sum fidem omni ni.

LV. Non vota casus, fata sed regun' meos.

NV. Obsiste mentis anxie furoribus:

Tua fata votis victa cessabunt meis.

LV. Prius diej juncta nox, agnus lupo,

Iovis volucris cygnus, elephanti sorex

Concordibus morentur unâ passibus,

Quam acerba fata adulteræ optato frui

Videam exitu. Mulier, pudore vendito,

Certum est miseriarum omnium domicilium

NV. Non vendidisti: præ la præ loni data,

Vim passa: vim, dum non potest, non excuti,

Tantum' scelus, quo nulla venia digna sit,

LV. Indigna veniam patior: exulat meo

Solamen à luctu, optimum solatium

Mors est: mori nemo negabit, mille sunt

Aditus eò: decus optimum est adulteræ,

Cruore proprio expiare noxiam.

Vir inter arma, Marte dubio, me domi

Relinquit (heu mihi!) hostium furoribus.

Quos

TRAGŌEDIA.

22

Quos ipse ferro armisq; repræssit foris,  
 (Sed vix repræssit, sorte reprimere potuit)  
 Inermis hos ego domi sperans, timens,  
 Non reprimo: vicit furor, vicit scelus,  
 Vicit tyrannus, ô pudor! quo munere  
 Redimam, minis expressa ab hoste, basia?  
 Quàm sæpè torva noctis insomnem facit  
 Facies quietem, quando fessos lacrymis  
 Oculos sopore claudit infestus dolor,  
 Quàm sæpè ferrum, immane ferrum, huic pectori  
 Condere videtur hostis, & facem ipsius  
 Præferre furij Eumenis, tremor & pavor  
 Tunc inquietos excutit somnos mihi,  
 Amburit angor omnia ossa medullis  
 Sæpè rigidum laniata vultum, exterrita,  
 Nudaq; comas discerpta, thalamis ejulans  
 Oberro, cari frustra querito viri  
 Vmbra (ô modo sit umbra, ne prorsus nihil,)  
 Luctumq; luctu expellere ut tento, magis  
 Appono tristi pabulum querimonie.  
 Quid in malorum tot procellis consilij  
 Capiam? quid excusabit hoc tantum nefas?  
 Nihil: nec & quidquam velim: nec coniugem  
 Me velle, vix suadet pudor: mori juvat.  
 Mors finiet, finire quod nequit dies.  
 NV. Vir finiet, Viri est opus presentia,  
 Mors, quam putas finire posse, augebit, &  
 cumulum tuis coagm. nabit ex malis.

C

Nosti

Nosti furores hostium, atq; Tarquinî  
 Tyrannidem, immunisq; sanguinis sitim.  
 Hei quanta abhinc materia surget iubili  
 Sexto? hei ut ad patranda alia stimulum furor  
 Abinde sumet! ut suis successibus  
 Congratulabitur! unde series facinorum,  
 Odij, doliq; cadiumq; ortum trahet.  
 Pariq; grassandi licentiâ scelus  
 Alibi furores evomet, vires tuâ  
 Ex morte sumens, ut pari omnis occidat  
 Fato pudor, virtusq; vitio det locum.  
 Ut si suborto tota in Vrbe incendio,  
 Iam flamma summam arcem petat, iam iners humo  
 Inserpat arida, jam ad ipsa culmina  
 Scandat penatum: dum sopitur ab alijs  
 Ignis vorax, liquore, lacte, sanguine:  
 Si tu interim, latens domo, domesticam  
 Taciturna compilando ibi supellectilem  
 Iacias foras, divesq; flamma pabulum  
 Ita subministres, nonne furiosa & malo  
 In publico scelestâ, pœnam incurreres?  
 Iam dum indies magni tyranni Tarquinî  
 Serpit per urbem nescius modi furor,  
 Quo amoliendo sana vix consilia opem  
 Tulerint, scelere alio novaq; insaniâ  
 Succurrere isti audes malo? ah quis hic furor?  
 Sic flamma flammâs, scelera sic pascit scelus.  
 Nunquam magis vitium suis gliscit malis,  
 Quam

Quàm quando & adflictus sceleribus pabulum  
 Aliqua animi supped dat impatientia.

Cave, Lucretia, ah cavi, sic ceteras  
 Sextus mulieres interimere, quàm stupro,  
 Vitare posthac mavolet quando manum  
 Cruoris avidam ipsi cruore armas tuo.

L. Et me interimat, hac ne mea cadam manu.

N. Non sufficit perÿsse famam? an vita obest?

L. Obesse, jam meo edocebo funere.

N. Natura vires quæ dabit tantas tibi?

L. Dolor, ira, luctus, rædium & vitæ dabunt.

N. AEquanimitas aegris medetur, non furor.

L. Si morbus est sanabili ex origine.

N. Quò gravior, hoc majori opus patientia.

L. Facilius est sanis medela vulneris,  
 Quàm aegris dolorum acerbiorum passio.

N. Non sola tu adversantis imperum deæ  
 Rhamnusiæ experis: ille singulos  
 Attingit, & manes datimur omnes graves.

Ipsimet auro sioria ingentia est sua,

Nec tam potio Phœbus ipse lumine

Hoc purpurat solum, levis, quin transitu

Nubecula reciprocetur identidem.

Quin ergo, quod commune multis, ne tuo

Id expiandum, alumna, damno censeas.

Age vince teipsam: vela fletus contrahere,

Tristes bona solare conscientia,

Quæcumq; adurunt pectus, egrimonias.

Erit, erit, huius ultor & vindex mali:  
 Committe divi, solum id horum est officium.

LV. Cuius suo desinat axe Cynthius,  
 Et summam in auge curtiore lineam  
 Producat umbram, quam meo desit dolor  
 Animo: ultimo cessabit is cum Spiritu,  
 Ni forte manes sentiant quoque has vices.  
 Pater vocandus, & maritus: o modo  
 Vocare possem iure nostro! verum age  
 Vincendus hic paulum furor: sint vindices  
 Quos dii volunt; fortasse me mei volunt.

NV. Quid agas, aiurna, vide: grave est, in proprio  
 Scelere furorem iudicis fungi vice.

## CHORVS.

**R**egitur, Lucretia, fati  
 Hominum genus omne, suaeque  
 Stabile & durabile nemo  
 Poterit spondere saluti.  
 Veluti variabile Luna  
 Senium mutatur in horas:  
 Facies modo plena minoris  
 Spatii circumrotat orbem,  
 Modo cornibus integit umbras,  
 Modo tota obscura senescit,  
 Varijs ita casibus illa  
 Fortuna incerta diei

Hominum



Hominum fata omnia voluit,  
 Semperq; hodierna malorum  
 Metuenda pericula restant.  
 Tua nec sors seuior illa,  
 Quam vel prior horruit etas,  
 Vel postera secla dolebunt.  
 Quæ tum sicilice Sabinis  
 Matronis pectora censes  
 Compuncta fuisse, puellis  
 Innuptis, virginibusq;  
 Cum Romula seua juvenus,  
 Ludi sub imagine, amicos  
 Animos referente, theatri  
 Media ad subsellia ductas  
 Rapuere, manuq; furore  
 Armata, ad mœnia Romæ  
 Traxere, sibi illicitoq;  
 Iunxere, cupidinis æstu?  
 Tamen hanc patiente ferendam  
 Animo sortem esse putabant.  
 Quæ tum vindicta pudico  
 Suscepta animo? anne furori  
 Frenum laxare puella,  
 Medioq; sub agmine, & armis  
 Septæ, voluere rapina  
 Hac defraudare Quirites:  
 Seq; ut data copia, telis  
 Transfigere militum, & isto

C 3

Vlcisci

Vlcisci funere prædam?  
 Non sic: prudentior horum  
 Animis infederat aura.  
 Nemesis maiore sequuta est  
 Cum scænore: Marte togæq;  
 Divûm est experta favorem  
 Generosi gnata Sabini.  
 Forsan tua te quoq; mansit  
 Vindicta, aliunde profecta,  
 Iucretia, nostraq; satis  
 Inclusa tuis, simul uno  
 Tandem sub iubilo ovabunt.  
 Noli prævertere divos:  
 Tibi que vindicta parata est,  
 Forsan quoq; posthuma nostra  
 Aetas celebrabit in Vrbe.  
 Sed hem, quis hîc rosea coruscans purpura?  
 Quemnam videmus? ô sorores, edepol,  
 Sextum videre videor, aut infirmior  
 Caligat acies luminum: sed certè adest.  
 Miror, salax quid hircus inter mulieres.

## ACTVS II.

## SEXTVS.

**M**ene impotentem? mene sublesta fide  
 Orbis caput, cum patre, Romam legibus

Subjicere

Subjicere, mene præripere palmam malis  
 Luxu atq; scelere, & impiare moribus  
 Cives meis, vitiare totam regionem,  
 Si cederem aula, ad infimæ centuriam  
 Plebis redactus; si meos Lucretijs  
 Imponerem fasces; & illa patria  
 Hereditatis sceptrum dederem advenis,  
 Ipse exularem, regna cernerem eminus,  
 Cum patre pila, militarem in infima:  
 Sic sat pudicè, sic honestè viverem,  
 Vulgi modò parere scirem nutibus.  
 At pol Iovem, vindicta bella, bellum iter,  
 Quod Ardeenses mi dederunt inducia.  
 Egregia probitas scilicet Lucretia,  
 Egregia, quam deprædicabant, Castitas.  
 Ut callidè, si crederes primo impetu,  
 Laboriosis adsidens ancillulis,  
 Et ipsa lanis obsita & villis, suis,  
 Ut concha, laribus fixa, dum vir adsuit,  
 Tria regna iurares, nihil Lucretia  
 Probius fuisse, nil laboriosius:  
 Ut abijt ille, dij boni, quam non diu  
 Vetus vigore perstitit pudor suo,  
 Fallax mulierum & nullius pili fides,  
 Vix & imitandis delitescens fraudibus.  
 Sunt mille technæ, mille mulierum doli,  
 Quæ credulos improvidorum animos sui in  
 Laudes trahunt: nisi centies probaveris,

Vix foemine tutam dabis verbis fidem;  
 Probata dico: cui prius vix conferas  
 Integritatem virginum vestalium.  
 Coram marito, coram amicis, publicè,  
 Si aspexeris, Lucretia, ut nuper mihi  
 Revisa sola est proh deum, ut perijt pudor,  
 Lucis diurnae fugerat iubar, operis  
 Suis sororem subrogarat Cynthia,  
 Succrerat umbræ, & arctiore lumine  
 Reduxerat jam Luna noctis meridiem;  
 Siluere cuncta: nil metus, tuta omnia:  
 Membris solute dormire ancillula:  
 Thalami deumbrans Hesperugo valvulas  
 Ducebat ad thalami fores Lucretia,  
 Accedo: luctum tango: tango & foeminam,  
 Quid? posco stuprum, blanditijs amasijs;  
 (Omnia prius tētare, quam armis aggredi  
 Sapientis esse ratus) quid illa? paululum  
 Negare votum, castitatem mentiens.  
 Ut ense paululum territa est, omne excidit  
 Vinculum pudoris, ut prius quæ nec prece,  
 Nec amore victa est, si recusem maximè,  
 Vtiro sui deposcat ipsa jam stuprum.  
 Isten pudor? modestia hæc Lucretia?  
 O facilis, o cuiq; emulanda castitas!  
 Cui deme lanam, deme calathum, & stamina,  
 Nudabis in rotum; eminebit fraudibus  
 Facies inuncta: cætera occupat scelus.

CHORVS.

TRAGŒDIA.  
CHORVS.

19

**O** Potens magni dominator orbis,  
Iupiter, summæ genitor, Quirine,  
Vrbis: ò tutrix sacra Castitatis  
Vesta, num celsa superiorum ab arce  
Numinum, humanos oculo irretorto  
Cernitis astus?

Illane effrenis petulans tyranni  
Sat sit, ut vestros animos, Libido  
Ad mali justam trahat ultionem?  
ROMA, telluris caput, & deorum  
Filia, excultiq; animi magistra,  
Ecquid hunc ultra patière civem  
Te profanatis oculis iueri?  
Qui serenatæ latro castitatis  
Irruit ferro veniunt in cubile,  
Viq; funestâ tenerum pudorem  
Integræ uxoris populatur hospes,  
Iamq; mendaci sibi gratulatur  
Laudes, & invisum scelus impiato  
Ferme inauditis alibi pudori  
Imputat ausis.

O dijs quorum hospitij tributa  
Cura tutelæ est, & amor pudoris,  
Fulminum ultrices acies in unum  
Ferte, & hanc vrbem removete pestem.  
Sexte, ò Harpijs genite ò Megeræ

C 5

Edite

Edite in lucem facibus, pudoris  
 Pestis, integræ scabies juventæ,  
 Latro virtutis, scelerum cloaca,  
 Et lues sanctæ putapura Romæ:  
 Nulla te optatæ beet aura sortis:  
 Exulem, exsortem, sine spe, sine omni  
 Prospero adflatu superûm paterna  
 Evomat tellus, Acheronticiq;  
 Fontis inferni lacubus receptum  
 Sorbeat pernix Erebi Mephitis.  
 Annuant nostris precibus Deorum  
 Numina, & votis faciles clientum  
 Applacent aures, nisi castitatis  
 Nulla jam restet, reverentia atq;  
 Ille Romanis furor à sacellis  
 Omne virtutis specimen sequestret,  
 Et dii ipsimet vitijs senescant.  
 Sed licet divum manus illa desit,  
 (Culpa si possit superum est tanta)  
 Nec tibi nostræ prece promeremur,  
 Ut luas dignos scelere hoc furores,  
 Attamen tecum comitem æviternæ  
 Senties pœnæ, temerarijg;  
 Vindicem facti, propriog; in æstu  
 Viscerum, & mentis malæ conscioientis  
 Verme peribis.

TAR.

TRAGOEDIA  
TARQUINIUS.

21

**M**ultum interest, in quos reservetur dies  
Cuiusq; virtus: unde clara facinora  
Originis ducant suae primordia:

Ne, quod tuis maioribus palmarum  
In medio erat positum, tibi quoq; censeas.  
Ego, ut locus tempusq; regni fascibus,  
Me prohibuere maxime, quem patrium  
Diadema, jure hereditario meum,  
Regere jubebat, interim à domesticis  
Ad exeros, à liberis ad servulos,  
Qua fraude, nescio, devolutis fascibus,  
Ego vi atq; fraude regio exutus throno,  
Fraude atq; vi me subrogavi maxime.  
Hoc ergo cum primis datū est mihi consilij  
Ut, lenitate quam haud valerem vincere  
Plebem, metū, merito suo, facerem meam.  
Adæquè enim quæ Lucumoni firmitas,  
Quæ Romulo, Numæ vel Anco, oraculo  
Data est, mihi promissa. quid quod Termini  
Exauguratione nuperâ, dÿs (nus  
Exaugurationi huic faventibus,  
Permissit haud quaquã sibi addicant aves?  
Immota regno pollicens fundamenta:  
Quæ certitudo enotuit divinitus,  
Cum dedicarem nuper in Tarpeio  
AEdem Iovi Feretrio, basi infima

Hominiis

Hominis caput facie emicabat integrâ.  
 Exhorruere omnes in hoc miraculo:  
 Consultus augur imperi potentiam, &  
 Augmenta rerum dixit his portendior.  
 I nunt, & invisis dijs hos imperij  
 Fasces tueri Tarquinos obmurmura.  
 Mihi non patres temerarij, non inscia  
 Plebecula, aut levia senum suffragia,  
 Sed ipse summâ Cœli ab arce Iupiter  
 Est auctor: imperium offerunt miracula.  
 Hac ergo vi, hac auctoritate patrijs  
 Vestigijs insisto: quod Latia ipse est,  
 Quod est Sabino, Volco ego, Rutulog, sum:  
 Quod ipse erat Collatiae, hoc ero Ardea.  
 Nec, si vel ipse Accius novacula  
 Cotem secet, reflector à sententia  
 Urgebo pugna, oblistam & hosti, machinas  
 Omnes movebo: & obsidijs & insidijs,  
 Ut potero, vim periclitabor bellicam:  
 Nec prius ad Urbem animus redire inglorie  
 Quàm prædâ opima dives Ardeensium,  
 Letotriumpho victor adsum júbilo.

SEXTVS. TARQVI  
NIVS. CHORVS.

**V**ici, pater, vici, nec impetit pudor  
 Referre: vici. TA. num pudet victoria?

Se. si



SE. Si me me pudet TA. quid ergo? ed.ßere:

SE. Ruina regni facta nostri hac est die.

TA. Quae sit ruina: SE. quam facit calumnia

TA. Quae facta: SE. nostro (uti solemus) facinore.

TA. Quo facinore: SE. ego facinus grave & memo-  
Existimo, plebs imperandi nescia (rabile

Scelus vocat. TA. Quid hoc: scelere tolles scelus,

SE. Quo nulla virtus pervenit, penetrat scelus.

TA. Quid verò sceleris: ecqua origo gaudij,

SE. Spolium pudoris T. unde & S. de Lucretia.

TA. Quid? tene fieri adulterum? SE. gnatum tuum?

TA. Modestius cum patre SE. pietatem doces?

Nosti pater Lucretiorum in nos dolos.

TA. Novi quoque aliorum ruinas: quid postea?

SE. Si durius quid in scelestos audeam,  
Scelus putes? Laudare laudandos decet,  
Scelera æviterno suppresses silentio?

TA. Non alia lædendi data est occasio?

SE. Melior nequibat: una dos Lucretiae

Erat pudor, quo decomato, perdidisti.

Quodcumque nostro obstabat imperio mali.

TA. Quae sic? magis recruduisse crederem.

Calumnia. SE. ludibrio Lucretiae.

Vulgi exposita, sua moritur infamia,

Nobis licet ridere fatum hoc: imperi!

Auctoritas immunitatem dat mali.

TA. Hem vindicandae gloriae compendium?

Ch. Male pereatis, o catharmata imperi,

Vt

SE. *Vt pestilenti carcinoma in corpore,  
 Dum vel per artus serpit, aut per viscera,  
 Si non suavis est capax malagmatis,  
 Amburitur, salsugine aut eroditur,  
 Donec malum tandem alteri cedat malo:  
 Sic qui velut gangræna, nostro pestilens  
 Regno protervis livor ante passibus  
 Pededentim oberravit, ut huic virtus malo  
 Videatur impar, jam scelus sceleri odium.  
 Indixit, & venena viru depulit.*

Ch. *O tempora! ô mores! scelere obeat pudor?*

TA. *Quid? nostra vis infirma sit plebecula  
 Calumnijs? nec ipsa virtus suppetat  
 Tantis idonea furijs resistere?  
 Dî dedere, sceptrâ quæ gero, vacat  
 Pectus timore: Roma, mundi Lucifer,  
 Mihi subjacet, munus deorum est: obsequi  
 Mihi senatus cogitur, paret meo  
 Pometia juri, Suesâ vi facta est mea.  
 Non segnis est ad arma dextra, nec minor  
 Vis, quam voluntas, scelere nondum isto est opus,  
 Ut contumaces genere tumidos nobili  
 Cives retundam, quos vel uno mihi licet  
 Mori iubere verbo: ab invitis preces  
 Expressere noster hæctenus didicit metus.  
 Malè factiosis creditur: malè nimia  
 Potentiam regni tuetur lenitas.  
 Diuturniora sceptrâ mansissent patri,*

*Si se*

Si se esse regem, subditos Ancos sibi  
 Meminisset: exitum error hic regno dedit.  
 Anci in ducem, sub quo salutem acceperant,  
 (Atrox facinus?) armare non timent manus,  
 Magnanimus ille, regno adaequatus Iovi,  
 Primus triumphi laurea insignis coma,  
 Rex, occidit scelere & furore civium.  
 Heu quantum ibi vidit cruoris regia!  
 Maduere regni solia, sceptris sanguinis  
 Aspergine infandam dolebant hanc necem.  
 Et flere vix dum licuit, ira & impetus  
 Vetuere fletum, vindicandum erat scelus.  
 Nos quoque manere tale fatum creditur,  
 Nisi impetu infestos mihi tollam prius,  
 Nec lenitate immitis in me sim mea.  
 Imperia non tam verba, quam ferrum, decent.  
 Ch. Tyranne, ferro haec vindicanda atrocitas,  
 SE. Saepe ad salutem fraus quoque invenit viam,  
 Virtus nec omni restitit semper malo,  
 Ut, varia qui laceffit armis agmina,  
 Varias oportet sortis addiscat vices,  
 Nec semper hostis vi occidit: mendacium  
 Astusque saepe vincit, arma quos regunt.  
 Sic quamlibet vis ac potestas regia  
 Nutu vnico sufficeret obtreçantibus:  
 Si fraus tamen scelusque virtuti est comes,  
 Fraus illa pro virtute sumpta hoc fanoris  
 Habet, quod obtreçantium calumnias

Pessun

Pestundat, isto scelere digna infamia  
**IA.** Fac ut lubet: virtute frustra obstititur,  
 Si scelera virtutem in hostium reprimunt:  
 Vis, fraus, tyrannis ( si modo tyrannis est,  
 Ditare regnum, obistere hostium minis )  
 Quacumq; fors viam datura, me ferant.

## CHORVS.

**O** Infesta tyrannidis  
 In nos toxica regis,  
 Quae armata furoribus  
 Virtutem exagitat manus?  
 Nescitis, scelerum fabri,  
 Regem quid deceat? modum  
 Ecquem vis petat imperi?  
 Nescitis: nec enim impijs  
 Firmatur solium ausibus,  
 Non sceptri illiciti scelus  
 Regalem stabilit thronum.  
 Rex est, qui moderatus  
 Defendit titulos suos,  
 Non tam summa ratus, sibi  
 Quae sint commoda, publicae.  
 Quam quae poscat honor rei.  
 Rex est, quem veluti patrem  
 Vulgus sponte colit sua,  
 Non hostem metuit minis.

Rex

TRAGŌEDIA.

27

Rex est, qui scelera improbat,  
 Et fontes gladio ferit,  
 Non qui se scelerum dolis  
 Tatatur, populi & sua  
 Sarcit damna periculis.  
 O vos egregios patrum  
 Adscitos solio, quibus  
 Ius injuria: dedecus  
 Virtus: justitia est scelus.  
 Ut qui caucaseas specus  
 Scrupis incolit hispidas,  
 Dum majora poli cupit  
 Astra evolucere cominus,  
 Iam per senta relabitur  
 Præcep̄tes qua, vel horridis  
 Offertur spoliū feris.  
 Sic, quem vestra sibi capit  
 Tutandum imperij fides,  
 Vel cum rege malo male  
 Vivat, vel properæ neci  
 Fiat præda, necessum habet,  
 O si qua est Nemesis, scelus  
 Tantum ulciscere, vinculis  
 Nos dissolve tyrannicis,  
 An fas laurigeris comis  
 Romam mancipio erutam  
 Tandem cernere liberam?

D

Sed

*Sed pone questus, anime, pone turbidum  
Metum: viden' Lucretios? evax! bene est:  
Salvete Romæ mancipate vindices.*

## ACTVS III.

*Collatinus, Brutus, Tricipitinus,  
Lucretia, Nutrix.*

**E***T insolens, & non opina nuncius  
Præsentia, nostrum moratus est iter,  
Brute, ecqua sortis caussa tam subitanea?*

**BR.***Quod si ominari fas foret, non ambigo,  
Quin foeminini nuncij famulitium  
Ad mulierum nos abstrahat fata: interest  
Redysse Romam: at cogimur Collatijs  
Fortasse casu singulari vivere.*

**COL***Miror equidem, sed enim nec illud sufficit,  
Quin metuo, ne non sat domi ex sententia  
Sors nostra iam succedat auspicijs bonis  
Ut tibi videtur, Tricipitine, quo omine  
Hanc nuncij famam repentini excipis?*

**TR***Quod & tibi ex voto meaq, filie  
Benè prospereq, cedat, ut vellem quidem,  
Haud commodò nos huc vocatos arbitror. (est,  
Præfagit hercle aliquid mali mens. Nam quid  
Quod nuncius factò, atq, maturato opus  
Aiebat esse? quid quod incidisse rem  
Gravem?*

Gravem ? mehercle magnum inest rei malum,  
Vel certè inexpectata subsunt gaudia.

**Col** O quidquid est, mee modo Lucretia,  
Inimica non succenseat Rhamnusia.  
Quam vereor ! o muliebris ille nuntius  
Raro secundis administrat sortibus.  
Sed hoc frequenter sæ n næ ordinarium est  
Frugis bonæ, vitæq; honestæ, cui salus  
Viri saluti includitur, dum coniugis  
Devotius desiderat præsentiam,  
Illudq; singularibus prænuntijs,  
Ut cælitus vel sidus ortum sit boni,  
Vel nullius gaudij capax adversitas.

**BR.** Vtraq; viri communionem sarcina  
Exposcit: illa ut in boni adfluentia  
Adhibere mente æquâ sciat modestiam:  
Hæc ne mali in terrore dediscat pati,  
Virum crucis collegam habens solatio.

**Col** Sed quid moramur ? illa diem, & horam, horula  
Minuta, singula & minuta momina  
Examinat: adeo suos desiderat.

**TR.** Cessamus ingredi? **BR.** ellam at ipsamet foras  
Progreditur, ut pullata veste lugubri!  
Ut turgidis oculis ! madidaq; lacrymis !

**Col** Exhorreo: proh Iupiter, quid hoc rei?  
Quid hoc novæ vicissitudinis? placet?  
Alloquar. **TR.** at ententat querelas: vix pater  
Forti molestas perfero animo lacrymas.

CO. *Secede paulum TR. cedo : vix his par ero  
Doloribus COL. Lucretia, euge itan' satis  
Saluam inuenio, salvere vos ut expeto?*

NV. *Recollige animum, alumna, vir loquitur: times?*

LV. *Recolligam, Quam queris, heu, vix inuenis,  
Marite, nunquam iniquiorem in me salus  
Oculum retorsit, ac die hoc tam perditio,  
Vbi salus salutem & ipsa non queat  
Ferre, quid enim salutis insit mulieri  
Post dissolutum castitatis cingulum?  
O nullius iactura pharmaci capax!*

CO. *Ab quid mali ominaris, ô Lucretia,  
Quid turbida facie genæ fletu madent?  
O tu mea uxor, LV. ab tuam uxorem voces  
Adulteram, alterius mariti pellicem?*

CO. *Adulteram? ô vocem hanc molestam comprime.*

NV. *Conflictus acer instat: haud suffecero hæc  
Ad arma: succenturiato alio opus est.  
Cedo oneri: obest timide furor sapientie.*

LV. *Vestigia, heu pudor, viri alieni in tuo  
Hæsero lecto, sanctiusq; vinculi  
Monile conjugalis impudens furor  
Resecuit, inuisa relicta adultera*

CO. *Furorne loquitur, an amor ex te est quid tuis,  
O socia thalami, me querelis enecas  
Ut ora mesta avertis? ecquid eiulas?*

LV. *Sed ô serene famula noctis Cynthia,  
Quæ quidquid undiquaq; fit, latissimo*

*Ouuo*



Oculo intueris, vosq; noctis filie,  
 O flammæ faces, corusca sidera,  
 Estote testes, mentem abesse à crimine,  
 Et nullius flammæ venereæ consciam.  
 Corpus fuit, quod ferro & armis cedere  
 Dum cogitur, menti hanc meæ cladem intulit.

CO. Quid ergo? credã, quod pudor credere vetat?  
 Quis, edoce, ille prædo nostræ familiæ?

LV. Sextus fuit, qui nequam amore adulteri  
 Dum pro hospite hostis hosce devastat lares  
 Fervore raptus impudico, me tuis  
 Divulsam ab ulnis, nocte clanculariã  
 Mortis metu detraxit in libidinis  
 Nassam suæ, renuente mente, corpore  
 Injuriam tanti ferente facinoris.

BR. Deum fidem, nefas quod audio? ædepol,  
 Aut nos perimus, aut perit Respublica.

LV. Vos ergo, vos ô si quid est, cuius favor  
 Lucretiæ fide & salute nititur,  
 O si qua vitæ est anteaçtæ puritas  
 Per hanc rogo atq; obtestor ô quidquid mei  
 Dolere fati poterit inclementiam,  
 Nolite tantam impune Sexti audaciam  
 Infamiam meam ampliari postero  
 In seculo: quod si pudor vobis meus  
 Nondum imminutus antehac probatus est,  
 Hunc imminutum iam stupro, oculo vindice  
 Defendite, & si pote, salutem reddite

Lucretia, nec me sub umbris pessimâ  
 Manes meos fama pati concedite  
 Stat hac perire dexterâ, nec me malis  
 Solvet dies, quam quæ ad stygem dimiserit.

**COL.** Ab quo ruis furore, coniunx, casus hic  
 Culpa caret, crimen cadit in adulterum:  
 Tu nullus rea culpæ LV. at ut sum rea  
 Scelus facit. **COL.** quis dicat errorem scelus?

**LV.** Qui errare nescit, idem & errantem mori  
 Iubet; pudor suadet. **COL.** sed ô summa, infima  
 Prius movebo; fatag, in tuis mea  
 Inclusa junctis ingemiscant manibus:  
 Noli facere, noli impium divortium.

**LV.** Quam culpa avellit, aliud jungat nefas?  
 O nulla Cobatini adultera lateri  
 Iungenda! nil nisi mors piabit hoc scelus.  
 Vos si me amatis, interim date dexteras,  
 Fidemq, vestram, vos, veluti ego nunc meum  
 Tristi pudorem ulciscar hoc telo necis.  
 Sic castitatis dissipaturos meæ  
 Furem, & meæ fame futuros vindices.

**TR.** Non amplius cohibeo me: cor frangitur.  
 Ferrum video: quid hoc? quid? intentat necem.  
 Quid machinaris gnata? siccin' patrum  
 Vultum excipis? quin ense viduas dexteram?  
 Quo verteris? patrem vides: quorsum tremis?

**LV.** Eheu pater, per hanc stuprati corporis  
 Animam, per hoc niveum tuum obsecro caput,  
 Dedisce

Dedisce te patrem fuisse: filia  
 Permite mortem. TR. ô obst. natam! quo mihi  
 Rapis animum? aut hoc insimul sodias latus,  
 Aut desine exanimare me hoc verbo amplius:  
 Nam quid? coacta paruisti, nec satis:  
 Quin non coacta ipsa tibi iam instrumentū eris  
 Leti? ô furor! ô insania! o crudelitas!

LV. Sed heu mihi! pudor vetat me vivere.

TR. Sed & scelus mori vetat. LV. ludibrio,  
 Si vixero, mihi vita erit TR. mihi gaudio

LV. Quid gaudiij sit, natam habere adulteram?

TR. Hoc, quod viro mulier, preces minis, amor  
 Furore victus, inermis & prædombus  
 Coacta sit præter voluntatem obsequi.

LV. Sed impudicam quis feret sine tædio?

TR. Mens impudicam facere, non casus solet:

LV. Ab da mihi hoc novissimum Pater, meæ  
 Ne desies saluti, & uni commodo,  
 Quod non nisi letum daturum est, obsecro,  
 Da dexteram saltem, dature novissimè,  
 Promitte, tanti vindicem te flagitij.

TR. Promitto, gnata, vive saltem, nec tuo  
 Temet cruore pollue. COL. ah quid mortuam  
 Isthæc juvabit ultio? TR. te sospite  
 Quotaqueq; pars ero & ipse vindicantium.

LV. Quæ sit satis vindicta viva, ne dolor  
 In intimis exæstuet magè ossibus?  
 Quin tollar, & forsitan sepultis manibus

( Si fata manes sentiunt supersticum )

Gaudebo, tantam haud esse inultam injuriam,

BR. Sat efficaces, sat valentes patriæ

Preces, maritalisq; supplicatio:

Nostro tamen moveare fletu, ô conjugum

Speculum omnium, Lucretia, infringe impetum

Animi calentis, & tuorum subijce

Te precibus: hac jam fortitudine est opus.

LV. Mors fortiolem, vita timidam fecerit

BR. Sed sic parentem perimis. LV. at ne infamiâ,

Vivente me, pereat, nece hac faciam meâ.

BR. Coram marito? LV. cernere hic discat nefas.

BR. Et mente sanâ? LV. sed per os â corporis

Contaminati carcerem BR. ô flecte impetum,

Et istius veniam furoris da tibi.

LV. Venam dabo, quam non daturi Cæteri?

CO. O mea salus, ô vita quò me surripis?

Egone vivam membrum huiculum? ô calites

Avertite istud, aut simul me evertite.

LV. Necessitas jubet, marite, quod vetat

Amor: pudor suadet, quod Hymen improbat.

CO. Siccin' morere nullius obitus indice

Causa? scelus aliunde contractum elues?

O parce mentis obsequi iuencula

Furijs, nec & sis fortis haud sat tempori.

Nam, quam petis, vindicta non deerit tibi,

Promitto, spondeoq; verum compluem

Te velle culpæ non tue fieri, hoc veto:

Quam

LV. *Quam nescit animus, corpus hausit noxiam.*

CO. *Nam quæ tibi, si vixeris, sit noxia?*

*An quod coacta paruisti adultero?*

*O te beatam, quæ coacta crimine*

*Vacas, metuq, leui inermi corpore*

*Cedis minis, quas ardor ille Spiritus*

*Divinior pili estimavit nullius,*

*Nec passus est furori huic se subijci.*

LV. *Ab ecquid est, quod suadeat vitam amplius?*

*Abijt, boni quodcumq, visum est hæctenus.*

*Virtus, honestas, castitas, integritas.*

*Quis impiato facinore hoc medebitur*

*Animo? scelestè aut vivam, honestè aut occidam*

CO. *Non hercle culpa ulla est tua: quod enim facis,*

*Animo facis famulante saltem corpore,*

*Nec quicquid, absq, mentis adsensu, improbè*

*Factum vides, statim maleactum iudices,*

*Nisi velis fieri tibi ipsi injuria.*

*Quæ, quo nihil peccatum erat, pœna tamen*

*Vacare non vis, hæc quod haud dignum fuit.*

LV. *Fatis seror, mihi fata penas inserunt*

CO. *Qui mala purat, non qui patitur, illas luet.*

LV. *Ab quis luet nisi ego luam?* CO. *Sextum vide,*

*Is puniendus, iste solus criminis*

*Auctor caputq, nullius rea tu mali.*

*Si moreris, ex insonte sonem te facis.*

LV. *Mors liber arit, vita fontem fecerit.*

CO. *Ab mea tu, o si quid ardor ille patrius,*

D S

Si

Si quid mariti conjugalis flammula,  
 Si quid tuorum possit obtestatio,  
 Omitte, queso, arma huic furori, dexterâ  
 Auctiore sceleris, administrare, & tori  
 Nostri tuo dissolvere scelere vinculum,  
 Noliq<sub>3</sub> tecum Patris uno verberare  
 Animam cruentâ morte ad umbras mittere,  
 O mea salus, ô vita, mea LVCRETIA

LV. O fata acerba! acerbitate nullius  
 Cedentia miseris! licet nullæ queant  
 Finire sortes, quam ferocis spicula  
 Cruenta mortis, hoc tamen accescit malum,  
 Quod non, quod & libet decerq<sub>3</sub>, etiam licet.  
 Namq<sub>3</sub> arietes gemine & valentes me probe  
 Quassando varijs jam retundunt ictibus:  
 Illinc parens, hinc post parentem maximus,  
 Marius, auro cariora pignora  
 Vtring<sub>3</sub>, queis non obsequi nefas foret,  
 Nisi ad aliud me cogeret necessitas:  
 Vos ergo amici, si vacare crimine  
 Me judicatis, & reum esse adulterum,  
 Qui vindicetis, estimate, injuriam.  
 Ego licet scelere soluta: non tamen  
 Sceleris vacabo præmijs: mori juvat,  
 Trepidante quamvis corde, non mortis metu,  
 Sed sceleris, absit crimen à satis meis.

TR. O gnata, parce! aut vivis, aut perimis patrem

LV. Quid vita prosit? pœna gravior est nece,

Vivere

Vivere scelestè, vivereq; in infamia,  
 Pœnæ metu, terrore conscientie,  
 Et, quod familiam ducit, exemplo malo.  
 Non, non erit nomen dehinc Lucretie  
 Vitæ impudicæ fraudulentum pallium,  
 Me criminis iutore: restor sanguinem,  
 Quo cum supremus emigrabit spiritus.

CO. Eheu mihi! tam leve sit imperium patris!  
 Tam vilis ardor sit mariti! LV. o nil facis.  
 Vale, pater carissime, & marite mi,  
 Testis mei pudoris innubi, Vale.  
 Va ete, amici, vosq; castæ virgines,  
 Memores meæ innocentie, memores tori  
 Non sponte polluti, sed à tyrannica  
 Libidine infecti, o adeste vindices  
 Superi dū inferiq; TR. parce, o filia  
 Patri. COL. marito parce. LV. vos Erebi domus  
 Hanc an. mulam excipite no. ellam vict. mam  
 Pudoris: unum hoc restat in vita malum,  
 Qui terminus malorum, obire fortiter.

TR. Ingreditur: heu mihi! o dolorem! va mihi!

CO. O uxor, o materia funeris mei!

## NUTRIX. CHORVS.

Quid nunc animi? pia femineæ  
 Porro turbæ: nonne fibrarum  
 Præcordia pulsant mesta medullæ?

Paver?

CH. Pavet, exhorretq, animus, sensus  
 Expers : riquerunt membra metu :  
 Tristem aspiciunt mortem ante oculos.

NV. Adeon' luctum invaluisse animis,  
 Ut & in mortem queat imperium  
 Sibi sumere, nec formidare  
 Proprii sanguinis haustum ! ô luctus  
 Animo prævise meo, temere & tristi  
 Remorate querelâ. CH. ovim fati !  
 Veluti è summi vertice Pindj,  
 Cum Cauroꝝ vehemens murmur  
 De præruptâ lapidem rupe  
 Avulsam, impete per juga magno  
 Raptat, donec gravidæ molis  
 Impos, tandem ad littora volvit  
 Amphitritæ, & in æquora mergit:  
 Ita sæpè levi de materiâ  
 Luctus, propriam celer in cladem  
 Arrofas ex pectore fibras  
 Varias solet in partes ferre,  
 Donec cor adæsum ictu ancipiti  
 Lancinet, & fauci inserat Orci.

NV. O quæ reliquis fors temporibus  
 Vestra accelerabit fata die  
 Dubia? memori illa mementote  
 Animo : quæ sunt obvia cuiquam,  
 Cuivis fieri possunt, vobis  
 Opus hac curâ, quas castus adhuc

Defen



*Defendit bonos, vitæ in flore.  
Me tarda senectus jam cymbæ  
Stygij naucleri impositura,  
Hoc liberat à trepido officio.  
Abeo: sanguis gelidus vetuli  
Corporis aurâ vivace caret.*

*CH. Vt fata suis mandant tabulis,  
Ita iusto etiam promptæ obsequio  
Patimur nostram miseræ cladem  
Præsens animo est medicina egro  
Benè ferre, quod haud mutare potes.*

ACTVS IV.

NVNCIVS CHORVS.

**I***nfanda famulitij opera: & vix mitior  
Tuâ, oruinæ Hippolyti acerbe nuncie,  
Quem seua per præceps equorum immanitas  
In mille raptum frustra miserè perdidit.*

*CH. Quæ vox ad aures pertulit nostras sonum?*

*NV. O citius ultra Antipodas & Ditis domum  
Cuperem locari, ne modò infandum scelus  
Referre cogerer. CH. euge quid portas novi?  
Edisere, & quocunq;, pande, sit scelus.*

*NV. Si ferret animus, & nisi exparescerent  
Membra omnia: obversat figura flagitij  
Vultu, negat referre, quod iussa imperant.*

*Suspen-*

CH. Suspendis animos anxios: quid ambigis  
 Dolere, quid sit? non ad auctorem redi,  
 Quis ordo sceleris, illud effare ocyus,

NV. Ve luctus, atq; nescius vinci dolor  
 Lucretiam cum patre pepulit ad lares  
 Viri, per omne ululatus ortus atrium  
 Miserrum innotuit, hinc Menas ipsa Erynnyisin  
 Visa est furore armare dextram: femina  
 Discurrit, & jam aperta pulsat pectora,  
 Semibiulca jam discerpit ora: sordidos  
 Laniata crines, summa depilat comae  
 Vestigia, & jam tela, jam laqueos petit,  
 Et, si daretur, toxico mori cupit.

CH. Quid adhuc pater? quid vir? quid alij NV. quidē  
 Trudit dolorem, lacryma urget lacrymam. (dolor  
 Transferre culpam, polliceri facinoris  
 Vindictam, abesse crimen ubi mens abfuit,  
 Fatum parentis esse fatum filiae,  
 Plus fore, patrem perimere, quam vitium pati.  
 Instant, monent, hortantur: invitam tenent.  
 Mibi, inquit, illud exedendum, quod scelus  
 Intrivit, in me vis fera armavit manus.  
 Et ingem scens, heu mihi, inquit, ultima  
 Dies videnda, quod fereris me surripe.  
 Et haec loquuta nescio quem clanculum  
 Palla latentem suppetit cultrum furor,  
 Quo perforata pectus exanimis cadit,  
 Fedata sanie se. ulenti sanguinis,

Ferro

CH. Ferro quis admovit manum? NV. Lucretia  
Fortis ruinam in propriam. CH. o dirum scel'!

NV. Tunc vero & horror atq; planctus totius  
Replevit urbis compita: omnis visa erat  
Plebs in cadauer concidisse emortua.  
Exinde vix mihi viam adaperuit dolor,  
Vt huius essem facinoris prænuncius.

CHORVS.

**A**h qua nos miseris lux querimonijs,  
Vita & perpetuis fletibus eximit?  
Quorum hæc (ô radijs orta malis!) dies  
Facta est omnimodis criminibus, parens,  
Matronale decus, faminei chori  
Flos, indeciduo floride germine  
Quò te casti animi palma, Lucretia,  
Fati vis obitu surripit horrido?  
An tanto placuit Verbere funeris  
Prostravisse tuos, & celeri pede  
Ad manes propria tendere dexterâ?  
Ab qua tam subitis causa fuit malis?  
Fallor? sidereis quæ solet arcibus  
Insertare alios innuba castitas,  
Quæ vitæ exigua tempora prorogat,  
Integrosq; animi sola vetat mori,  
Hæc ictu Lachesis, lege sororia,  
Te subdit, properam quo tibi pausulam  
Vitæ per creperas accelerat vices.  
O ingrata animi præmia simplicis!

Sed

Sed quamlibet aspera fati  
 Vis & fortuna dierum  
 Te inviderit amplius orbi  
 Lumenq; an miq; pudici  
 Specimen: tamen ignibus ante  
 Miscebitur unda, suasq;  
 Vitis, licet insita lauro,  
 Sat frugifera exprimet uvas:  
 Quam te tua fama sub umbris  
 Latitantē inhonora relinquet,  
 Quae non per carnis orexim,  
 Cæcoq; Cupidinis arcu  
 Confixa, libidinis aestu,  
 Aliena cubilia lecti  
 Quæsisti, & honesta pudoris,  
 Furibunda, repagula, turpi  
 Fregisti, vendita lucro.  
 Sed quae formidine mortis  
 Per vimq; minasq;, Tyranni  
 Parere coacta furori,  
 Doluisti, aliena mariti  
 Vestigia inesse cubili:  
 Vitaeq; perosa, tuo ne  
 Quisquam sub nomine, amoris  
 Petulantius urgeat aestum,  
 Ma uisti mortis acerbæ  
 Tibi suppeditare dolorem,  
 Quam perditū iniqua pudoris

Male

TRAGOEDIA.

43

*Malefana exempla juventa  
 Nunc te stupet infima terra  
 Pars, Atri janua Ditis.  
 Refugas neq; Tantalus undas  
 Capit, aut Ixionis ultra  
 Iecur infestare volucres  
 Cupiunt, neq; ventilat urnam.  
 Radamanthi, in omnibus una  
 Lucretia caussa videndi est.  
 Sed te peropaca viarum  
 Iuga concomitantur euntem  
 Umbrae inviolatae animarum  
 Ad amœna vireta piorum,  
 Series ubi virginea inter  
 Consortia casta, pudicis  
 Cum manibus haud morituras  
 Celebrant sine sine Choreas.  
 Nos turba relicta tyrannis  
 Etiam hæc in sorte locata,  
 Nostros patiemur amicè  
 Manes, & iniqua doentes  
 Tua fata, perennibus undis  
 Undabimus ora genasq;  
 Vinam (si optare licebit)  
 Misericordis dent numina pinnas  
 Philomela, dissepta sylvæ  
 Peteremus lustra volucri  
 Penna, querulisq; remotis*

E

A ceti-

A caetibus, inter opacas  
 Herentibus arboris umbras  
 Quercula lugubre liceret  
 Modulari gutture murmur!  
 Quae spes bona? tædet & Vrbs,  
 Hominum & consortia sordent:  
 Regit urbica tristis Erynnis  
 Consortia nulla pudici  
 Animi defensio restat:  
 Nihil hic, nisi luctus & angor.  
 Eadem nos lucta sorores  
 Manet: istum nulla dies  
 Aufert medicina dolorem.  
 Quibus in nos jura tyrannis  
 Quondam fortuna datura est,  
 Parili nos funere tollent;  
 Quo victima facta pudoris,  
 Vxorum gloria, nullo  
 Moritura LVCRETIA seclo.

### Sextus. Tarquinius.

**L** Vcretia occidit? bene est: viduus torus  
 Egerida? ô factum bene: occupat dolor  
 Collatiam? invideo: unius Rempublicam  
 Mors foeminae enervare certè non potest  
**TA.** Plus penè, quàm te optare posse, datum reor,  
 Fili, nisi interire leviculum aestimas.

Optare

SE. Optare possem plura si votis meis  
 Successibus foret exitus, quibus volo.

TA. Quid sit gravius optare, quam, quæ non licet?

SE. Licet, pater, si mihi perire funere,  
 Quicumq; nostris invident honoribus?

TA. Licere dixerim. SE. ergo & optare id licet,  
 Quod, dum sit, esse licet. Simili ego infamia  
 Velim occidere, qui palliatâ gloriam  
 Virtute venantur: alienus sim magis  
 A laude, quam falso propinquus nomine.

TA. An ficta virtus, morte quæ ipsâ redimitur?

SE. Serò medetur vulnere, si intercus est.

TA. At delitescens impotens ad nauseam est.

SE. Veluti nephritis interius ad viscerum  
 Latens cavernas, quamlibet gravi ictuum  
 Acerbitate, concitet in abdomine  
 Tormina: tamen si extera videas corporis  
 Adjunctâ; sæpè dixeris plethoricum,  
 Quem vix dolor vivere sinit nephriticus.  
 Sic sæpè quando intrinsecus scelera latent,  
 Animusq; semper occupatur in malis,  
 Priusquam in apricum furor sese exerat,  
 Ipsos sub homine apparuisse crederes  
 Divos, & hanc sibi parasse è cæteris  
 Virtutis aulam, nulla quam corrumpere  
 Immanitas, quam si propius adspexeris,  
 Non regiam, stabulum sed Augiæ pates.

TA. Ita experimur. Omnium hoc est maximum

Obstare primis : sera factorum comes  
 Est poenitudo ; hic unus & verus pudor,  
 Peccare, non peccasse, quem pudet : scelus  
 Si feceris, licet cruoris explet  
 Litamine, haudquaquam esse desinit scelus.

SE. Sine lacrymis merito perire convenit,  
 Gravisq; nequam arena deprimat Caput,  
 Quod scelere fructum, fraudibus palmarium  
 Querit sibi : o obsistat impius dolor.  
 Quid fletis, o Collatij ? perijt scelus,  
 Doletis ? impudica perijt foemina,  
 Tristamini ? quid si recesserit solo  
 Virtus ? dolere, ubi non dolor, quae insania ?

TA. At nos, dolere scilicet, dementiam  
 Populi iuvet dolere. sorte posthuma  
 Si tanta nostri caecitas secli. dies  
 Collatiensem nosse discet adulteram.

## CHORVS.

**N**overit ; & te, seve tyranne,  
 Noverit : ambos, qua vaga mundi  
 Orbita caeli dividit axes,  
 Fama feret celeri pinnâ.  
 Illamq; invidia plorante,  
 Inseret astris innuba virtus :  
 Te, scelerum ringente patrono,  
 Viciium stygijs trudet lacubus.

Verum



Verūm, ō quibus est animi integritas  
 Cura, scelerum intrepidi osores,  
 Lugere interitum virtutis,  
 Lugere animi fata ingenui.  
 Cecidit LVCRETIA, & heu! cecidit  
 Specimen probitatis, amor populi;  
 Lugere; malos ridere iuuet,  
 Quorum lacrymæ virtus; vitium  
 Risus. Pia luctus materia est,  
 Quæ suppeditat risum sceleri.

ACTVS V.

Collatinus, Brutus, Tricipitinus,

**A**H quo rapere, Lucretia? ah quo concidis  
 Ferro? ō quis ille sanguis? ō quæ vulnera?  
 O terra! & unda! ō cœlum & aër! sidera!

**BR.** Compeſce luctum: quique vincis cetera,  
 Te vince, Collatine; cedat hic dolor  
 Genio tuo **COL.** ah quid? una nos absorbeat  
 Vorago: in uno nostra tumulto erit quies.

**TR.** Temere querelis aura nostris insonat;  
 Actum agimus: ab fuit, fuit nostræ unica  
 Basis senectæ; frustra quero dirutam.  
 Et ipse jam cadam: en retenta faucibus  
 Vox heret, intercepta luctu; eheu mihi!

**BR.** Exesto fletus, desinant faciem amplius

Inebriare lacrymæ: esse vos viros  
 Iam cogitate, & paululum seponite  
 Animi molestias, diemq; vindicem  
 Apparuisse cernite hunc, quæ Tarquinii  
 Fatalis est prosapia & novissimus.  
 Nam quàmlibet fat gravia fata patimini  
 Ex conjugis gnataq; acerbo funere,  
 Mœrore pressi, luctu amaro squalidi:  
 Non est tamen, ut animum virilem ponere  
 Cogamini: Videte lucem hanc, omnium  
 Repub. in nostrâ malorum terminum.

**Col.** O me beatum, viribus si fidere  
 Concederet dolor! recrudescat furor,  
 Animi, in sui vindictam, acerbo ex funere.

**BR.** Me sequere; nostro sortis exemplo suas.  
 Nam sic di, deaq; & ira Vejovis  
 Iam Tarquinorum ex vrbe memoriam extrahat,  
 Ut hunc ego cultrum innocenti è vulnere  
 Extraxi: ita in vaga dijs pete procul loca,  
 Ut innocentem dissipos istum sanguinem.  
 Tantumn' inultum perpetrarier scelus?  
 Impuneq; in vitam decusq; foemina  
 Collatiarum Principis grassarier?  
 Per hunc cruenta sanguinem Lucretia  
 Nobis perenni castitate nobilem;  
 Per, si quid est, pudoris & iustitiae amans,  
 Obtestor & iuro, deos testes voco,  
 Me stirpe prostriturum ab imâ familiam

Tarquinij

TRAGŌEDIA.

49

Tarquinij, & huius pestilentem coniugem,  
 Cum liberis, cum quidquid est prosapia  
 De ista super: ferrum, ignis, unda, machina,  
 Quotcumq; restat virium Quiritium,  
 Ex Vrbe proscribet nefariam domum.  
 Sat jam diu indultum fuit, neq; vos latet,  
 Ut sit ruina origo nostrae scæmina  
 Quae, quò cupido regni avaram gloriæ  
 Solio locaret regis, in caesi patris  
 Viscera renitentes agere equos, & rogos  
 Non erubuit abnuere discerpto seni,  
 Hinc ille facinorum ordo, caedes & doli,  
 Molestiaeq; publicè jam cognita  
 Passim, hunc adusq; scæminarum scæmina  
 Castissimæ dolosè adactæ sanguinem

TR. Quàm penè victus desijt dolor, & ferâ  
 Scelerum memoriâ, pectus irâ canduit!  
 Quantum ira, luctus, angor animi, vel furor  
 Tandem sinent, virtute vincendum scelus.

BR. Mei ô Quirites! agite, si quod est scelus,  
 Quod ultionis indigere cernitis!  
 Si sat diu pressam iugo tyrannico  
 Urbem deorum adserere vultis liberam,  
 Confluite nunc ceu publicis incendijs,  
 Confluite, nostris hæc abigite à finibus  
 Prædonis arma: rapite vi, discerpите,  
 Pessundate, & nos inter haud locum amplius  
 Concedite, ô nulli tyranno subiuges.

E 4

Abimius

*Abimus : o modo propitij faveant dij ;  
Privata mala dabunt salutem publicis.*

## CHORVS.

**I**Te, nutantis generosa ROMÆ  
Fulcræ, virtutis in serè exulantis  
Vindices, plausu minus ominosè  
Oscinis ite.

O quis, ut fas est, pietatis illa  
Munia ad iustos revocare honorum  
Calculos posset, quibus una vix dum  
Sufficit hora.

Annæ Panegyridos Kalendæ,  
Quamlibet menses revocate ad omnes,  
Vix ferent quartam, licet erudito  
Carminè, partem.

Vnus AEgea deus ex Donyfâ  
Cynthius, versu, Cytharæq, plectro,  
Aptus est, tantis sua munera ausis  
Iure referre.

Nos tamen, quantum dederit pudicus  
Ardor, & lessus querulus remittet,  
Barbitò vos, si licet, expedito ef-  
ferre iurabit.

Tu sed, o magnæ stator Urbis, inter  
Splendidos divùm proceres, Quirine,  
Respice injustas populi ruinas,  
Et profanati rabiem tyranni

A tuo

Atuo tandem solio reclina.  
 Ne scelus magni monumenta Divi  
 Spurcet invisâ sanie scelesti  
 Imperi: exesto furor à sacellis  
 Romuli: invisâ est generosa virtus  
 Fraudibus: nescit regere in deorum  
 Vrbe profanus.

Quis huc anhelos dum loquor, se spiritu  
 Offert? sorores, euge quid feret novi?

NVN C I V S. C H O R V S.

**Q** Vicunq; domini miles exultat sui  
 In regia, defendat aulam, quæ gravi  
 Quassata ariete jam ruina subiacet.

CH. O quæ ruina? gestit animus noscere.

NV. Exerite vires, vim furore vincite,  
 Quoscunq; regis extulit favor: ruunt  
 In regna, in aulam, n' sceptrâ quidquid obvium  
 Fit, distrabunt, sternunt, & adfligunt humo  
 Lucretij, iræ suppetit vires dolor

CH. Quis ordo turbarum? quis auctor? edoce.

NV. Brutus cadaver intuens emortuum,  
 Exæstans irâ & furore, frendunt,  
 Non tam parietes inter hunc luctum rarus,  
 Debere ferri, quàm hoc acerbo funere  
 Populi dolorem concitari publicum.  
 Effertur, itur, inq; medium sistitur  
 Theatrum fori: concurrunt: quisq; facinus

Tantum execratur : deusvetur impij  
 Furor tyranni : urgetur ira fleibus  
 Lucretiorum : animi ministrat impetum  
 Ea fortitudo Bruti, adaugent lacrymæ  
 Mæsti parentis, quisq; quæ furor dedit,  
 Ad arma promptus, quo calentis impetu  
 Animi juvenis incitatur, irruit.  
 Romam venit, ducente Bruto, nescio  
 Vulgo tumultus : expavescent civium  
 Animi, suborto turbidi exhorrent metu.  
 Arma intuentur, intuentur principes  
 Collatiarum, fervidam ad pugnam magis  
 Timent juventam, quam juventæ copiam.  
 Conveniunt erat : forum occupatur : hi nihil  
 Rentur futurum temere, quidquid isti agent  
 Venit senatus, Præco populum convocat :  
 Confluitur, ingens concio visa est foro.

CH. Quid postea? NVN. inde, facta post silentia,  
 Dignâ viro gravitate Brutus extulit  
 Vocem, (viri mirata concio indolem est)  
 Grave est, Quirites, inquit, ac momentum habet,  
 Quod querimus : ira si vetat, jubet dolor.  
 Infanda vis, infanda stupri atrocitas  
 Lucretiæ, Sexti furores, orbitas  
 Parentis, impiata jura conjugî,  
 Regis tyrannis, impudica regiæ  
 Libido materiam dedere ( & lacrymis,  
 Et iræ, iniquum vindicturæ scelus.

Vltrice

Ultrice cum cohorte venimus, locum  
 Date ultioni, adeste, adeste, patriæ  
 Vindicibus: an pigebit excutere jugum,  
 Quo mancipati subjugamur impio  
 Regi? Ducem me, haud penitebit, sequimini.  
 Graviores proferebat, & que vel Scythæ,  
 Vel Tigridos seve movere potuerant  
 Pectus. stupore tota percita concio,  
 Partim dolor, partim furor dedit animos.  
 Regem exulare, aulam vacare principe  
 Voluere. Ceu magnis subortis fluctibus,  
 Cum, si vel ipse Typhis ad clavum foret,  
 Vis magna Boreæ reprimi haud quaquam potest.  
 Redimenda vita est mercium dispendio:  
 Sic dum invalescit ardor incensi agminis,  
 Propere ad theatra proruentis regie,  
 Ne vita furis præda fiat militum,  
 Aulam relictam squalida extra mœnia  
 Fertur profuga, regni venenum Tullia.  
 Quam quo dolor metusq; duxit turbidam,  
 Clamor, minæ, execrationes maximo  
 Frenitu insequuntur: illa, quæ prior data est  
 Via fugiendi, illam capebat. Interim,  
 Legione scriptâ, lecto ad arma exercitu,  
 Ad castra Brutus tendit Ardeënsia  
 Reliquum tyranni querit: ipsum liberat  
 Iubet exulare ab Urbe, quem suffragia  
 Populi abrogari instant: ab hinc juvenis furor

Hoc

Hoc intus ardens igne nondum elanguit.  
 Sublata sceptrâ : regius desijt timor,  
 Novis Quiritum jura surgent fascibus.

## CHORVS.

**T**andem, tandem veniam oppressi  
 Populi votis fata dedere.  
 O aurea lux, radijs orta,  
 Faustis, seculi fons pacifici,  
 Salve, meliore notanda nota :  
 Iam prima recessit Olympiadis  
 Sextæ series, qua Roma fero  
 Subjecta tyrannos mancipium  
 Miserum proprias ruere in clades  
 Visa est, creperâ sortisq; vice  
 Nunquam optatâ potuit pace  
 Illibatos numerare dies.  
 Si Martius extra Urbem strepitus  
 Siluit, nullusq; ex hoste timor  
 Animum exterius tetigit ( licet &  
 Hic timor animos frustra Quiritum  
 Exterruit ) intus visceribus  
 Urbis furor intestinus adest :  
 Et quæ nequit hostis, rex acuit  
 Arma in proprij interitum populi :  
 Conticuit furor : ô factum bene !  
 Perire hostes : sæva tyranni

Tela



*Tela, suo frustrata labore,  
 Bello optatum tribuunt finem.  
 Iamq<sub>3</sub> emeritum caput illa Deūm  
 Suboles R O M A, eternā lauru  
 Exertat, nullamq<sub>3</sub> ruina  
 Ulteriore aliquam fissuram  
 Ostendit superūm cura deūm.  
 O Vos Clusij Valvæ Iani,  
 Semper vestrum interius numen  
 Tegite obiecti facie, nunquam  
 Videat posthac geminas R O M A  
 Portas tali patulas bello.  
 Fallor? superum annuit anne favor?  
 Equidem dextra intonuit, levâ  
 Dextrum augurio occinnitur leto,  
 Nemo diademate Romano  
 Sceptroq<sub>3</sub> superbiet ulterius:  
 Sacra jura atq<sub>3</sub> aurea libertas  
 Tandem aureolis lustrare forum  
 Medium pinnis, pax incipiat  
 Iactare oleas optata suas.  
 Salvete anima, salvete pie.  
 O vindicijs clari patrijs,  
 Lucretiades, que digna queat  
 Gratia vestris tribui officijs?  
 Quod non hominum cura aut studium  
 Hostimento poterit merito  
 Præstare, Deūm referet pietas.  
 Vos in medijs divūm solijs*

*Clarere*

Clarere videbit posteritas  
 Sera nepotum, non invideat  
 Romulus equalibus à latere  
 Vobis parili claris titulo.  
 Armis Romæ dedit ille suæ  
 Imperium: armis vos imperij  
 Ex mancipio Romam eruitis.  
 O vos magnæ geminos Urbis  
 Auctores, numeris innumeris,  
 Et non moriturâ laude animi  
 Dicendos! prius astra polorum  
 Dediscere circuitus poterunt,  
 Mediumq; suis solem faculis  
 Noctis minima eximet ex oculis  
 Filia, quam suspecta Quiritum  
 Animo obrepat Lucretiadum  
 Oblivio: & ipsam tanta forum  
 Merita elogio celebrare suo  
 Audebit, ubi ingratis hominum  
 Animis vestro emerita officio  
 Fama filescet.

FINIS.

εις γλωττοποιεῖλαι

ELEGIDIVM.

**Q**uem mala culpandi scabies, & inutilis ardor  
 Vrit, sub. ectâ circa aliena fide,  
Alterius

Alterius patruæ dum pungit verberare linguæ;  
In sua connivet crimina Sigalion.  
O frons Anticyræ tribus indigna ! credo vel ausis  
Abdita linigeræ sinistra ferire deæ?  
Publica jam passim vel prisca in gente querela est:  
Desipit audendo, qui bene agendo sapit.  
Esto; sit æternæ Maro laudi proximus: instet,  
Urgeat, en Bivio vapulat ille suo.  
Aude aliquid: primo dum prodis impete, Livor,  
Quò genuinum avidi conterat oris, habet.  
Ito sed in medios virtute audentior hostes  
Hic etiam, virtus quem tua pungit, erit.  
O cui tam præstante luto præcordia Titan  
Finxit, ut ad quasvis sint satis apta notas?  
Scilicet arguti lex est prætorica vulgi:  
Quis non depuduit frons fera, sunt pro-  
Inde, quibus picæ strepitum clementia cœli (cul.  
Abnuat, eis nequeas turpis asellus agit.  
O mores hominum! liceat Sapiencia voce:  
Rana sophus quidni quælibet esse queat?  
Sed nisi postico latitaret mantica tergo,  
Nemo ferè linguæ pronus ad arma foret.  
Interea, donec fallax ea mantica cessat,  
Occiput aut oculos gestit habere suos:  
Credo ego, nec toto est tam paupera natio mundo,  
Ut non Suffenum nutriat illa suum.

M. F. B. D.







53602 (1)


AB: 5 3602 (1)

ULB Halle  
002 108 372


3



sb







1594  
LVCRETIA  
TRAGOEDIA.  
Ex Primo libro Decadis Primæ Livianæ

A D  
NOBILEM IUXTA ET  
Magnificum virum Dn. MELCHIO-  
REM PANTALEONEM, Illustr. DD.  
Procerum Carniolanorum Consti-  
liarium clarissimum.

Recensente  
M. FRIDERICO BALDVINO  
Dresdensi.  
Aristot. de poëtic. cap. 9.

φιλοσοφώτερον ἢ ἰστορικώτερον ποιήσεως ἱστορίας ἐστίν.



WVITEBERGÆ,  
Ex Officina Cratoniana, Anno 1597.